

mei conspecturi sunt, et non aliis. Reposita est haec spes mea in sinu meo. Venio nunc ad Jesum Nave, qui typus Domini non solum gestis, sed etiam nomine; transit Jordanel, hostium regna subvertit, divisit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Ecclesiae coelestisque Hierusalem spiritualia regna describit. In Judicum libro quot principes populi, tot figurae sunt. Ruth Moabitis Esaiae implet vaticinium dicentis: Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae, de petra deserti, ad montem filiae Sion. Samuel in Heli mortuo, et in occiso Saul, veterem legem abolitam monstrat. Porro in Sadoch, atque David, novi sacerdotii, novique imperii sacramenta testatur. Melachim, id est, regum tertius et quartus liber a Salomone usque ad Jechoniam, et ab Hieroboam filio Nabath, usque ad Osee, qui ductus est in Assyrios, regnum Juda et regnum describit Israël. Si historiam respiicas, verba simplicia sunt: si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiae paucitas, et haereticorum contra Ecclesiam bella narrantur. Duodecim prophetae in unius voluminis angustias coarctati, multo aliud, quam sonant in littera, praefigurant. Osee crebro nominat Ephraim, Samariam, Joseph, Jezraël, et uxorem fornicariam et fornicationis filios, et adulteram cubiculo clausam mariti, multo tempore sedere viduam et sub veste lugubri, viri ad se redditum praestolari. Johel, filius Phatuel, describit terram duodecim tribuum, eruca, bricho, locusta, rubigine vastante corruptam, et post eversionem prioris populi, effusum spiritum sanctum super servos Dei et ancillas, id est, super centum viginti credentium nomina, qui effundendus erat in coenaculo Sion, qui centum viginti, ab uno usque ad quindecim paulatim et per incrementa surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in Psalterio mystice continentur. Amos pastor, et rusticus ex ruborum mōra distingens, paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne exprimat tria aut quatuor sce-